

1188.

5.

* *Bischof Dietrich bestätigt die Bestimmungen des Probstes Werner über das Gnadenjahr und die von ihm gestifteten Anniversarien.*

In nomine sancte et individue Trinitatis*. ego Theodericus s. Halberstadensis ecclesie episcopus Wernhero preposito ecclesie s. Bonifacii in Bossenleve ejusque fratribus tam presentibus quam futuris canonice substituendis in perpetuum. cum suscepti regiminis cura et auctoritas pontificalis nos ammoneat et jugiter hortetur, ut profectui et incremento ecclesiarum nostrarum modis omnibus intendere debeamus, non minus ordinationibus aliorum ad honorem Dei et earundem ecclesiarum utilitatem spectantibus nostre debemus robur auctoritatis et confirmationis impertiri. considerantes itaque, ex quanto fervore caritatis processerit, quod predictus prepositus, de salute anime sue et animarum parentum et amicorum suorum non modicam gerens sollicitudinem, fratribus memorate ecclesie concessit ac in perpetuum ordinavit, ut, quolibet ex ipsis in articulo mortis constituto, medietas proprie prebende ejus dispositioni et ultime voluntati per circulum sequentis anni post mortem ipsius plenarie concedatur, reliqua vero medietas in usus ecclesie, secundum quod fratres decreverint, convertatur. quodsi forte aliquis eorum intestatus aut alias constitutus decesserit, de utraque medietate prebende ordinandi et disponendi idem fratres a die mortis sue usque ad anni evolutionem liberam habeant facultatem. super hec autem et duos mansos in Strobike¹ ab omni jure advocati liberos in memoriam defuncti fratris² et parentum suorum eidem ecclesie pie contradidit, unum vero mansum in Niendorp, cujus medietatem conventus ab eo pecunia comparavit, reliquam vero mediam partem ejusdem mansi ecclesia recepit pro commutatione vinee, quam fratres sibi tali pacto habere permiserunt, ut ei tantum, non aliis successoribus suis vel heredibus, sed sui solius dominio et voluntati subjaceret: quodsi eum de bona voluntate cedere vel de medio transferri contingeret, in usus fratrum predicta vinea denuo rediret.

hanc constitutionem sive donationem tam in prebenda quam etiam in mansis omnimodis approbamus et eam auctoritate omnipotentis Dei et nostra confirmamus, ita ut, si quis ipsam tamen infringere temptaverit, si secundo tertiove commonitus non digne satisfecerit et ab iniqua sua presumptione non cessaverit, eterne dampnationis periculo in extremo examine subjaceat et a sacratissimo sanguine et corpore domini nostri Jhesu Christi et communione totius sancte ecclesie, nisi juste penituerit, fiat alienus. ut autem hec omnia perpetue firmitatis robur obtineant, sigilli nostri inpressione presentem paginam signari jussimus.

acta autem sunt hec anno dominice incarnationis m.c.lxxx. octavo, indictione vij, presentibus canonicis majoris ecclesie Anselmo